

cuī attingere, κατ' ἀλήθειαν & πραγματικῶς, seu ἀναλυτικῶς, h. e. è certis & necessariis principiis, tanquā causis, more Mathematicorum declaravit, certarumque rerum effata, logica praesertim, & metaphysica, & si quae in aliis ἀκροαματικαῖς πραγματίαις occurrunt, certissimis confirmavit demonstrationibus. Quod praeter αὐτοψίαν cum primis Aphrodisaei in I. Top. XIV. testatur commentarius.

§. II. Porro, quod palmarium esse puto, cum potiore *Analysin logicam* ipso Platone veritatem habendam, I. Eth. 4. (6.) &, non an ipse dixerit, sed, an se res ita haberet, potius spectandum esse IX. (al. VIII.) Met. c. ult. & XI. (al. XII.) c. VIII. sedulo monuisset, ut in multis extra Mathesin dubiis & incertis cognoscibilibus, quae suis reliquit inquirenda discipulis, ad veritatem propius accedere liceret, instituta disciplinarum & demonstrationum mathematicarum jamdum perfectissimarum ἀναλύσει, generalem de modo demonstrandi scientiam concinnare, & quatuor integris libris tradere est aggressus.

Vid. lib. 2. de caelo. c. 5.

§. 12. Quos quidem libros eā praecipue de causa velut *Intuitu demonstrationum mathematicarum* originaliter ἀναλυτικῶς resolutorios ab ipso dictos esse, non solum exempla mathematica, quibus ferè solis & semper utitur, ipsique adeo artis termini quasi cardinales (v. g. ἄρῶν, ἀκρον, Διάστημα, συλλογισμὸς, συμπέρασμα, χῆμα, ψευδογράφημα, πῶσις, ἐκθεσις &c.) quos hac occasione simul ex hortis Mathematicorum in logicum agrum omnium Interpretum confessione transplantavit, certò certius indicant; Sed & Psellus antiquus Aristor. Interpres Commentario in libros Logicos conceptis verbis affirmat.

§. 13. Scilicet ut solertis ingenii homo, facta horologii, telescopii, aliusve rei artificiosa resolutione, notataque partium tum dispositione, tum nexu inter se invicem, non solum ipse simile quippiam, si non ex eadem, ex aliā tamen materia constituere; sed & aliis idem ex aliā & aliā pro lubitu materia concinnandi rationem praescribere, occipit; ita solertissimus Veterum Aristoteles ex resolutione demonstrationum

Tanquam exemplorum principiorum